



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Quæ disciplinæ ratio Parocho, & Sacerdotibus curationis publicæ tenenda  
sit. Cap. XXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

aut indicium exister, de hac re omni Parochus, Sacerdosue, spiritualis cure prefectus, Vicarium foraneum, aut prefectum regionarium, & hi Episcopum certiores statim faciant, vt in tempore, primùm re inuestigata, cum remedium opportunum periculo adhibere possit, cum flagitiosa vita, omnique uitio diffuens, reprimatur, & coerceatur.

8 Ille verò morum corruptelæ, quæ in ijs locis magna cum Dei offensione vulgò existere solent, quales sunt, commestationes, exhilarationes, cachinnationes, inhonestæ congressiones, obscenæ colloquutiones, detractiones, maledicendi vltus, ludificationes, gestulationes, lusiones, ludi aleatorij, saltationes, tripudia, crapule, comotationes, congressusque illi, tot peccatis coniuncti; omnesque demùm turpes actiones, vt tollantur, radicitusque extirpentur; ijdem Sacerdotes, & priuatis colloquijs, & cõcionibus, & suasionibus, & cohortationibus, & omni officij genere agent planè diligenter.

Quod si ijs rationibus assequi nõ poterūt, quod ex disciplinæ Christianæ vsu erit, Episcopum ipsum adibunt, qui offensionibus eius generis omni via occurrat.

9 Quam ob causam, quò diligentius scilicet idem Episcopus nota, atque explorata habeat, quæcumque in ijs locis ad morum emendationem, correptionemque opus erunt; certos etiam aliquos laicos homines, Christianæ, sanctæque disciplinæ studiosos, non modò in tuguriorum finibus, hospitalibusque ædibus publicis, sed in omni Parochia secretò constituet, qui omnia inhonestæ, turpisque vitæ pericula, flagitiosas actiones, & corruptam omnem eorum disciplinam, qui ibi degunt, prudenti exploratione, diligenter indagent: quæque in offensa esse uiderint, de ijs, uel Episcopum ipsum, prefectumue regionarium, uel Vicarium foraneum, uel Parochum, uel Sacerdotem etiam curatorem sepissimè, atque adeò quotidie, si opus erit, certiorè facient.

Quæ disciplinæ ratio Parocho, & Sacerdotibus curationis publicæ tenenda sit. Cap. XXIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochi & Sacerdotumq; } disciplina in curatione publica.
- 2 Hi ad testamenti factionem neminem inducent: Abstinebuntque à testamenti, Codicilli, & omnis vltimæ voluntatis conscriptione. 3.

Parochus,

**P**arochus, & Sacerdotes curationis publicæ cum diligentem in alijs morum speculationem, curam, exercitationemque pietatis adhibuerint; hoc etiam maximè studebunt, ut ipsi, piè, sanctèq; viuendi studio, omnique religionis officio, atq; omni documento, & exemplo, ceteris omnibus præluceant, ac summa quidem cautione in eo vtantur, vt non modo quicquam non offendant, peccent; sed ab omni peccati suspitione planè liberi sint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicæ curationis locis seruiet Dei gloriæ, cuius religiosus cultus perpetuò ob eorum oculos versari debet.

Studio caritatis, quæ in eorum animis fixa semper inhereat, agent omnia.

Quo studio ducti, & curæ susceptæ officio commoti longè ab ijs actionibus refugient, quæ offensionem, aut mali suspitionem parient.

2 Cauebunt, nè eos, qui peste, suspitione uè laborant, ad testamenti factionem, aut ad aliud ultimæ uoluntatis genus, nè agnatis quidem illorum flagitantibus, ullo modo inducant, atque impellant: nisi aliquando, uel Christiana caritas, uel propinquorum status, commiseratione dignus, aliter suaserit: tuncque si temporis spatium datur, rem ipsam, vt est, cum Episcopo, aut præfecto regionario, aut Vicario suo foraneo communicabunt.

3 A testamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis ultimæ uoluntatis conscriptione abstinerebunt; nisi ugens necessitas aliter deposcat, cum alij scilicet equè idonei non sint, neque aliundè asceri possint, qui conscribant: tuncque ut auaritiæ, & fordidi quæstus suspitioni occurratur, testes, quò ad eius fieri potest, auctoritate, & uitæ moribus insignes adhibebunt.

Idem præstabunt, si quando aliorum pecuniam, supellectilem uè asseruandi, aut in aliquem usum erogandi, curam suscipient.

Speculatio in ministris publicæ curationis adhibenda. Cap. XXIIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochi & Sacerdotum Speculatio in ministris publicæ curationis, & quibus capitibus constet, & quorum opera exequenda. 13.  
2 Antiani nihil extorqueant, surripiantque. 3.

Manè